

Q. N. 352, 5 A.

X 186 223

178  
II i  
128

LVI.

DA DOMINE INCREMENTUM!

De

MORIBUS ÆTATUM,

Juvenilis, Senilis & Virilis seu Mediæ,  
dicturis duobus Discipulis

ab

*Omnibus literatis Patronis, Promotoribus ac Fautoribus,  
gratisissimam presentiam  
&  
audientiam benevolam*

rogat

JOH. Theill/ M. P. L. C. Scholæ Evangelicæ  
apud Budisinos Rector.

---

Typis Gorlicens. per Martinum Hermannum anno CIO CIO LIV.





*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*





Πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε.  
*Omnia probate, quod bonum est, tenete.*

I Theff. V. vers. 21.

**D**Um Scriptionem hanc Propempticon meditor, numerò mihi in mentem venit Programmatis illius Invitatorii α, quo ad audiendas discipulorum de Passione Dominicà Parodias Horatianas Patronos nostros compellavi: in eo nempe variis variorum Scriptorum profanorum *τμηματίοις* seu commatibus *κατ' ἄκρον* indice quasi digito monstravi, quomodo *sacra profanis* non tantum *proferr* possint, sed iisdem etiam *ornari* debeant, ut qui solus sit & ultimus legendorum Autorum profanorum scopus, ut exinde divina non firmiora quidem, *valent enim per se*, sed comtiora tamen, namq; *ab homine nunquam satis comentur*, atq; ornatiora appareant: idq; etiam ante nos fecisse olim *Lactantios & Augustinos, Basilios, Nazianzenos*, alios. Cùmq; jam idem sparsim in exempla iterum deducere sit animus, rogo *Catones*, ut frontem, *Varrones*, ut mentem, *Momos* autem, ut supercilium tantisper ponant & censuram, aut, si hoc abs se impetrare fortean haut possint, planè exsint, nosq; interea solos sanctè nugari permittant. Ne verò otiosi vagentur, petimus hanc nobis dare veniam, ut *Martialis* interim epigramma LI pellegant in libro nono, quod scripsit in *Gaurum*, perpendantq; utrum id quoq; stringendum sit censorià *M. Antonii β Mureti* virgulà, scribentis, *Sape Martialis, dum falsè aliquid & aculeatè diceret, quàm id iustè ac meritò faceret, non curavit.*

Ut itaq;, in quo tum desinebamus, ab *Horatio* incipiamus, age discipule Horatiane, si legeris in *Ecclesiaste Salomonis γ, Es ist noch ein I. hōher hūter über den hohen* memineris Horatium dicere δ,

Regum timendorum in proprios greges,

Reges in ipsos imperium est Jovis,

facilius tibi erit & tutius *Iovem* in *Deum* mutare. Paullò post leges,

α XL Ann. CICICILII. β I. XIX Variar. Lect. c. I. γ c. V. p. 7. δ III. Carm. I.



*ul. Somnus agrestium lenis virosum, sed & paullo post in Salomone, Wer  
ul. arbeitet/ dem ist der Schlaf süße.* Idem alibi  $\epsilon$  scripsit,

Prudens futuri temporis exitum,

Caliginosâ nocte premit Deus:

planè ita reddi queunt illa Salomonèa  $\zeta$ , **Daß der Mensch nicht  
wissen soll/was künfftig ist.** Cui & idem illud Poëtæ accensendum,

$\eta$  Tu ne quæsieris, (scire nefas!) quem mihi, quem tibi  
finem Dii dederint

IV. V. *Avidus*  $\theta$  Horatii *Vulcanus*, & *in unquam humeris positurus arcum*,  
describent tibi ignem Salomonèum, *qui non dicit, Sufficit*  $\kappa$ ; itemq;

VI. Ismaëlem Abrahamiden  $\lambda$ , Esavumq; Isaaci venatorem. Idem ille  
Lyricus meminit  $\mu$  *verbera lingua*: talia sunt  $\kappa\epsilon\rho\lambda\omicron\mu\iota\alpha$  calumniato-

VII. rum apud Salomonem  $\nu$ . Egregius est aphorismus Ecclesiastæ  $\xi$ ,  
**Weisheit ist ja besser denn Stärck:** & hanc expressit Horatius  $\sigma$

Sed quid Typhœus & validus Mimas

aut quid minaci Porphyriion statu,

quid Rhœcus, evulsisq; truncis

Enceladus jaculator audax

contra sonantem Pallados ægida,

possent ruentes?

& alibi  $\pi$  dicuntur ipsi

diu

latèq; victrices catervæ

consiliis juvenis revictæ.

Abibimus à Salomone, si unum adhuc subjunxerimus. Celebris at-

IX. que verissima est sententia  $\rho$ , **Böse/böse sprich man/wen man  
hat/Aber wenn es weg ist/so rühmet man es denn/**quam & lau-

dato programme contulimus: sed quam egregiè verbis ea effertur

Horatianis  $\sigma$ , Virtutem incolumem odimus,

Sublatam ex oculis quærimus invidi;

&

$\epsilon$  ib. XXIX.  $\zeta$  Eccl. VII, 15.  $\eta$  I. Carm. XI.  $\theta$  III. Carm. IV.  $\iota$  ib.  $\kappa$  Prov.

XXX, 16.  $\lambda$  Gen. XXI & XXV.  $\mu$  III. Carm. XII.  $\nu$  Prov. XXVI, 22.

$\xi$  c. IX, 16.  $\sigma$  III. Carm. IV.  $\pi$  l. IV, 4.  $\rho$  Prov. XX, 14.  $\sigma$  II. Carm. XXIV.



& Curtii τ, *Ex comparatione regis novi desiderium excitabatur amissis*  
 & Cornelii Nepotis de Dione, *Qui vivum eum tyrannum vocitabant,*  
*eundem liberatorem patriæ tyranniq; expulsorem predicabant. Sic subito*  
*miseriordia odio successerat, ut eum suo sanguine, si possent, ab Acherun-*  
*te cuperent redimere.* Psalmus quadragesimus nonus sanè sæpe & ite- IX.  
 rum divitibus illis Euclionibus inculcandus, qui omnem suam in  
 divitiis caducis spem collocant, præsertim quod à diversorio Plutonio  
*magnificentia domûs terrestris neminem liberum præstet & indemnem.*  
 Sed vide, quàm & Romanis suis Crassis Venusinus ille Lyricus idem  
 istud inculcet υ, Nulla certior tamen

Rapacis Orci sine destinata

aula divitem manet

herum. ———

ϕ Linqvenda tellus & domus, & placens

uxor, neq; harum, quas colis, arborum

te, præter invisas cupressos,

ulla brevem dominum sequetur.

χ Cedes coëmtis saltibus, & domo,

cedes: & extractis in altum

divitiis potietur heres.

Jesaias Propheta ita descripsit Medos ψ, **Die die Jünglinge mit**  
**Bogen erschleßen/ und sich der Früchte des Leibes nicht erbar**  
**men/ noch der Kinder schonen/** quod & Turcis barbaris, à quorum  
*acinace tristi nos Deus custodiat, longè est familiare.* Tetigit Horati-  
 us ω,

Nescios fari pueros ———

ureret flammis, etiam latentes

matris in alvo.

David & fata Jonathæ, amici sibi dilectissimi, non tam lesu prosequu- XI.  
 tus est, quàm, ut Israëlitarum juvenus eundem decantaret, jussit: Tu  
 accommoda Horatianum istud β,

Lesbium servate pedem meiq; Pollicis ictum

rite Latonæ puerum canentes,

τ lib. X. c. 8. υ II. Carm. XIX. ϕ ib. XIV. χ ib. III. ψ c. XIII, 18.

ω IV. Carm. VI. α II Sam. I, 18. β l. cit.

Manu



**Man̄ solt die Kinder Juda den Bogen** (so hieß d̄ß Lied, inquit  
xii. in glossemate B. Lutherus) **lehren.** Paullus ꝛ dixit, *Qui volunt dite-*  
*scere, incidunt in tentationem & laqueum:* applicabimus illud Hora-

tii δ, *Magnum pauperies opprobrium jubet*  
*quidvis & facere & pati,*  
*virtutisq; viam deserit ardua.*

xiii. Apud Lucam ε Paterfamiliās jubet succidi arborem fici infrugife-  
ram, *ad quid enim vel terram occupat?* Nimirum talis fuit arbor illa  
Sabina ζ, *nefasto die posita, in nepotum perniciem, opprobriumq; pagi.*

xiv. CHRISTUS Salvator apud Matthæum, Marcum & Lucam dixit, *Non*  
*opus habent hi, qui validi sunt, medico, sed qui malè habent:* Ovidii η  
verba traducenda huc sunt,

*Firma valent per se, nullumq; Machaona quærun,*  
*ad medicam dubius confugit æger opem.*

xv. CHRISTUS dixit, θ *Petite, & dabitur vobis,* idq; apud Johannem ι du-  
plici juramento confirmat. Conculcabitur ergo fœdam illam  
*Martialis* κ adulationem, & JHOVÆ nostro verissimè tribuemus il-  
lum pentametrum, *Et Dominum mundi flectere vota valens.*

xvi. Matrem Siseræ legimus anxie expectasse, quæ præda divideretur,  
**einem teglichen Manne eine Mezen oder 3wo λ:** Est id apud Vir-  
gilium μ, ubi Ascanius Niso, præter *pocula signis aspera, cratera anti-*  
*quum, tripodas, equum & arma,* spondet etiam

————— *bissex lectissima matrum*

xvii. *corpora.* Ita quod Isaides conqueritur, quod *dilecti suorum a-*  
*micorum procul à se consistant, plagamq; suam exhorrescant,* idem jussit  
*Pothinus* potius, quàm svasit Regi puero *Ptolemao,* namq; sic scripsit  
*Lucanus* l. 8 *Pharsaliæ,*

*Nulla fides unquam miseris elegit amicos,*  
————— *cole felices, miseris fuge.* —————

xix. Rutha nullis à socru divelli potuit persuasionibus, dicens ad eam  
sty-

ꝛ I Tim. VI, 9. δ III. Carm. XXIV. ε c. XIII, 7. ζ Hor. II. Carm. XIII.  
η III. Pont. IV. θ Matth. VII, 7. ι c. XVI, 23. κ l. II. epigr. 32. λ Ju-  
dic. V, 30. μ IX. Æneid. vers. 263.



stylo planè Curtiano  $\nu$ , nec mutato, *Quascunq; sedes elegeris, propa-  
trid & domesticis rebus petitura*: paullò aliâ facie apud Lucanum &  
Lentulus, vel Hyperboreæ plaustrum glaciale sub ursæ  
vel plaga quâ torrens, claususq; vaporibus axis  
nec patitur noctes, nec iniquos crescere soles,  
si fortuna ferat, rerum nos summa sequetur  
imperiumq; comes. —————

Mutata fuerint mutanda. Juvenalis in Satyrâ 10, elegantissimâ illâ, XIX.  
in quâ stultitiam votorum mortalium graphicè depingit, incom-  
moda senectutis, quæ secum ista ferat, ita descripsit,

V. 210. ————— nam quæ cantante voluptas,  
sit licèt eximius citharædus, sitvè Seleucus,  
& quibus auratâ mos est fulgere lacernâ?  
quid refert magni sedeat quâ parte theatri,  
qui vix cornicines exaudiat, atq; tubarum,  
concentus? clamore opus est, ut sentiat auris,  
quem dicat venisse puer, quot nunciet horas.

Berzellæus  $\circ$  adest ad aulam Davidis regiam vocatus, qui se ita excu-  
sat, *Ich bin heute achtzig Jahr alt/ wie solte ich hören/ was die  
Sänger oder Sängertn singen? oder schmecken/ was ich esse o/  
der trincke?*

————— hujus V. 228.  
pallida labra cibum digitis capiunt alienis,  
ille ad conspectum cœnæ deducere rictum,  
suetus hiat tantum, ceu pullus hirundinis, ad quem  
ore volat pleno mater jejuna. —————

Idem Satyricus  $\pi$  eò nobis inserviat, ut illud Salomonis  $\rho$ , *Ein Ar/ xx.*  
*mer höret das Schelten nicht/ reddamus illo versu,*  
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Nempe nudus & inops, qui nihil auri & argenti secum gestat, latro-  
nes non timet, quia cui nihil est, nihil auferri potest: illis autem ma-  
xi-

$\nu$  lib. V. c. II.  $\xi$  lib. V. Pharsal.  $\circ$  II Sam. XIX.  $\pi$  l. cit. v. 22.  $\rho$  Prov.  
XIII, 8.



ximè timendum, quibus maximæ divitiæ, quas propterea Menander  $\pi\lambda\acute{\alpha}\tau\omicron\nu\delta\epsilon\iota\lambda\acute{\omicron}\nu$  appellavit. Accinit Seneca in Hercule OEtæo  $\sigma$ ,

Pectora pauper securâ gerit,  
tenet è patulâ pocula fago,  
sed non trepidâ tenet ipsa manu:  
carpit faciles vilesq; cibos,  
— sed non strictos respicit enses.

Aurea miscet pocula sanguis.

XXI. Neminem esse inter Judæos, dicit *CHRISTVS* apud Lucam  $\tau$ , *cuius si asinus aut bos in puteum ceciderit, non continuo illos in die Sabbatib; extracturus fuerit.* Illustrabit hæc puer illis Virgilianis  $\upsilon$ ,

Quippe etiam festis quædam exercere diebus  
fas & jura sinunt, —————

nempe divina & humana jura, nam *fas* ad religionem, *iura* ad hominem pertinent. Illustrat & confirmat hoc Macrobius  $\Phi$ , diligens Virgilianorum versuum lector & considerator, ubi ita: *Scævola consultus quid feriis agi liceret, respondit, quod prætermisissimum noceret. Si bos in specum decidisset, eumq; paterfamilias adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse, nec ille, qui trabem recti fractam fulciendo ab imminenti vindicavit ruinâ. Unde & Mayo omnium disciplinarum peritus, sciens lavari ovem aut lanam purgandam aut scabiei curandam gratiâ, pronuntiavit tunc ovem per ferias licere mersari, si hoc remedii causâ fieret, Balantumq; gregem fluvio mersare salubri, adiiciendo enim salubri, ostendit avertendi morbi gratiâ tantummodo;*

XXII. *non etiam ob lucrum purganda lana causâ fieri concessum.* Elegans quoque est illud Claudiani  $\chi$ ,

————— ipsos ignavia fluxit in enses,

quibus nisi custodibus ad sepulcrum *CHRISTI*  $\psi$ , *οἱ ἐσείδησαν καὶ ἐγένε-*

XXIII. *νοῦτο ὡς εἰ νεκροὶ, accommodabimus?* Celebris est sententia in Proverbiis Salomonis  $\omega$  de abominandâ inobedientum liberorum poenâ:

Scho-  
 $\sigma$  v. 652.  $\tau$  c. XIV, 5.  $\upsilon$  I Georg. v. 268.  $\Phi$  I Saturn. cap. 16. Vide &  
I. III. c. eod.  $\chi$  II in Eutrop. v. 563.  $\psi$  Matth. XXIX, v. 4.  $\omega$  cap.  
XXX, v. 17.



Scholasticus, si luxuriare stylo voluerit, Catullianâ operâ abuti poterit, qui sic in Cominium,

Non equidem dubito, quin primùm inimica bonorum,  
lingua exacta avido sit data vulturio,  
effossos oculos voret atro gutture corvus,  
intestina canes, cetera membra lupi.

Idem Homeri α in se habent verba, ubi Ulixes ad Socum, Hippasi filium,

-- -- ἔ μὲν σοί γε πατήρ καὶ πότνια μήτηρ  
ὅσσε καθαιρήσασσι θανόντι περ' ἀλλ' οἰωνοὶ  
ὠμησαὶ ἐρύσσι περὶ πλερὰ πυκνὰ βαλόντες,

quod ipsum David β gigante quoq; Goliathæ prædicebat.

Illud, quod Act. 9 Jesus de cœlo inculcat Saulo, proverbium exxxiv.

Pindaro græcè reddere potest discipulus, quod & ante me Erasmus Schmidius, Professor VVittenbergensis, annotavit. In Lucâ γ est, Σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν, In Pindaro δ, ποτὶ κέντρον δέ τοι λακτίζεμεν

τελέθει ὀλιθηρός οἰμ. Paulus ad Galatas ε de Petro, Barnabâ & aliis Judæis sacramentorum vetustiorum tenacioribus conqueritur,

ὅτι ἔκ ὀρθοποδοῦσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν τῆς Ευαγγελίας, quod personarum respectu videbantur variare conuictum, uti loquitur Tertullianus ζ. Illustrari potest ex Pindaro, qui in Nemeis η similem locutionem habet, ψεφηνὸς ἀνήρ' ἄλλοι' ἄλλα πνέων (ex eod. ore calidam & frigidam)

ἔπο' ἀτρεκέϊ καλέβα ποδί, uti in eundem hunc sensum laudatus Schmidius contra Lonicerum, vi contextûs, exposuit. Salomonis pro-

verbium quoddam est θ, Ferrum ferro acuitur, & vir acuit faciem amici (proximi) sui: Pindarus, Græcè exposituro in subsidium veniet, θήξας δέ κε Φῶτ' (nonnulli legere malunt Φύντ' ἀρετῆς, natum virtuti) ἀρετῆς ποτὶ πελώριον ὄρμασε κλέει ἀνήρ, Θεῶ σὺν παλάμα. Ecclesia-xxvii.

stæ κ illud cui non notum Christiano? & debebat sanè, Pulvis reuertetur in terram, & Spiritus ad Deum, qui dedit eum. Quàm egregiè illo Euripidéo transponemus! λ

α Iliad. λ. v. 453. β I Sam. XVII, 44. γ v. 5. δ Pyth. β. ἐπωδ. δ. ε c. II. ζ I. IV adv. Marcion. c. 3. η Nem. γ. ἐπωδ. β. θ c. XXVII, 17. ι Olymp. 4. ἐπωδ. α. κ c. XII, 7. λ Supplic. v. 532.

ο θεν

ο θεν

ο θεν

ο θεν



Οθεν δ' ἕκασον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο  
 ἐνλαύθ' ἀπῆλθε, πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,  
 τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν· ἔτι γὰρ κεκλήμεθα  
 ἡμέτερον αὐτὸ, πλὴν ἐνοικῆσαι βίον,  
 καὶ πείρα τὴν θρέψασαν αὐτὸ δεῖ λαβεῖν.

xxix. Phrasis Matthæi, phrasis inquam, κακῶς κακῶς ἀπολέσθ' αὐτῶς, con-  
 xxix. venit cum Euripideâ ν, κακῶς κακῆ θανείται. Sic & altera Matthæi ξ,  
*Ligatis pedibus & manibus eius mittite eum in tenebras exteriores, cum*  
 alterâ illâ Euripidis, ο

-- καθεύξατ' αὐτὸν ἰστωικαῖς πέλας  
 φάτναισιν, ὡς ἂν σκότιον εἰσορᾷ κνέφας.

xxx. Poteramus plura ex Græcis, præsertim illud, ubi Menelaus ad Ore-  
 stam, π

Ορέσα σοὶ δὲ παῖδ' ἐγὼ κατεγλυῶ  
 φοῖβος λέγοντ' ὅ, εὐγενῆς δ' ἀπ' εὐγενῶς  
 γήμας, ὄναιο καὶ σὺ καὶ ὁ διδῶς ἐγώ,

quod conferri potest cum benedictionibus Patriarcharum in spon-  
 xxxi. salibus, Rebecca puta, Ruthæ & Saræ Raguelis: uti & illud, quod se-  
 quitur, χωρεῖτε νῦν ἕκαστ' ὅ, νεῖκας δὲ διαλύεσθε, cum illo Iosephi ρ ad  
 fratres profecturos, **Sanct et nichte auf dem Wege**. Sed ad Latinos,  
*Curtium* præsertim & *Valer. Maximum*, erit regrediundum. Quæ hic  
 xxxii. de T. Atinio, nos veriùs de Paralytico σ, quem Salvator CHRISTUS  
 sanaverat, pronuntiabimus, *Magnâ cum omnium admiratione, recupe-  
 ratâ membrorum firmitate, pedibus domum rediit*: namq; Marco τε-  
 xxxiii. ste & Lucâ, grabatum, ἐφ' ᾧ κατέκειτο, simul asportavit. Frustra quoq;  
 quis legerit egregia illa Socratis, qui *humana sapientia quasi quod-*  
*dam terrestre oraculum* fuisse censetur Valerio υ, *Densissimis tenebris*  
*« involuta mortalium mens, in quam latè patentes errores cœcas*

pre-  
 μ c. XXI, 41. ν Troad. v. 1055. ξ c. XXII, 13. ο Bacch. v. 509. π O-  
 rest. v. 1577. ρ Gen. XLV, 24. σ Matth. IX, 7. τ Val. Max. l. I. c. VII.  
 n. 4. υ l. VII. c. I. n. 2.



preces tuas spargis! Divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt; honores concupiscis, qui complures pessum dederunt; regna tecum ipsa volvis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur; splendidis conjugii injicis manus, at hæc ut aliquando illustrent, ita nonnunquam funditus domos everterunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum causis, quasi felicissimis rebus inhiare, teq; totam cœlestium arbitrio permitte: Quia, qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt: nisi ea ad illa *Salomonis*, *Prov. XV, v. 16, 17.* & similia accommodare voluerit & potuerit; quem nos quoq; locum in superiori Programme indicavimus. Cui geminus est ille ad v. 32. c. 16.  $\phi$  Multò, enim, multòq; seipsum quàm hostem superare operosius est, nec adversa præproperâ festinatione fugientem, nec secunda effuso gaudio apprehendentem. Hæc enim præstat animi moderatio, quæ mentes nostras impotentis temeritatis incursum transversas ferri non patitur. Quid *Rahab* Hierichuntinæ *Iosue* Dux privilegii dederit, ex historiâ ejus scimus: Valerius  $\chi$  nobis Cluviam Faculam, meretricem Capuensem, memorat, quæ *captis militibus Romanorum alimenta subministrare non destitit, cui, urbe illâ (Capuâ) oppressâ, Senatus (Romanus) libertatem & bona restituit, & si quid amplius præmii petisset, libenter se daturum asseveravit.* Volsiniensium urbem, caput olim Etruriæ, scribit idem  $\psi$ , *seruorum se insolentissimæ dominationi subjecisse: atq; eadem est dominatio ancillæ, wann sie ihrer Frauen Erbe wird* / *Prov. xxx, 23.* Nebucadnezar in fornace ardente vidit *mortali specie excelsiorem juvenem, als were er ein Sohn der Götter* / *humano habitu augustiorem,* quales apud Valerium  $\omega$  Hannibal & C. Cassius viderunt. Salomon *Ecclesiastes*  $\alpha$  de hominum *πολυπραγμοσύνη* & ardelionatu conqueritur, *Ich hab funden / daß Gott den Menschen hat aufrichtig gemacht / Aber sie suchen viel Rünste*

& ignotas animum dimittit in artes,

juxta  $\beta$  Ovidium: Valerius  $\gamma$  istam *humani ingenii pronam voluntatem*

B 2

tem

$\phi$  l. IV. c. I.  $\chi$  l. V. c. II.  $\psi$  l. IX. c. I. n. 2. Extern.  $\omega$  l. I. c. VII.  $\alpha$  c.

VII, 30.  $\beta$  IIX Metamorph. v. 188.  $\gamma$  l. cit.





- rem vetita scrutandi sic inclamat, Proinde file, & cetera tacitis permis-
- xxxix. *re fatis* Ex eodem loquimur, quando dicimus, David, ceu habet in-  
scriptio Psalmi xxxiv & historia I Sam. xxi, *praesidium calliditatis*  
*amplexus est*, cum Scipione, & *de industria se abiecit*, cum Bruto. Plu-  
ra, licet suppetant, pagella non patitur. *Curtium* explica discipule.
- xl. Legisti ε, quomodo Abjatharem commendet Salomon, ac ea pro-  
pter vitæ saltem veniâ dignum censeat, quòd *passus fuerit*, *ubicunq;*  
*parens* (David) *passus fuisset*: Assume stylum Curtianum ζ, & dic, *o-*  
*mnis fortuna paterna fuisse comitem*, inq; *statu infelici exsulis eundem*,
- xli. *qui florente eo fuerat*. *Iob* nacerbè conqueritur se pro deridiculo ha-  
beri ab iis, *welcher Väter er verachtet hette zu stellen unter seine*  
*Schafhunde*: paullulâ operâ utendum, & applicabitur illud *Darii*  
apud Curtium θ, *An creditis aequò animò iis servire quorum reges esse*  
*fastidiant?* quales ex humili magna ad fastigia rerum  
extollit, quoties voluit fortuna jocari,  
quos meritò cum Satyrico ita compelles, κ  
Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,  
aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo,  
dixit autem *Eilhardus Lubinus* in Commentario, ut *servus, infamis,*  
*fur, latro, sicarius, sacrilegus, parricida*, *Dieses ist die grüne Sieben.*
- xlII. Leve videbitur, & addemus tamen, quòd B. Maria in montana abi-  
erit μετὰ σπῆρας: *Curtius* μ dixit *strenuè factò itinere*, *Valerius* ν verò
- xlIII. *strenuam operam*. Cornelius Nepos maximo commendat Alcibia-  
dem opere, *Tanta erat commendatio oris atq; orationis, ut nemo ei di-*  
*cendo posset resistere*. Ex Atheniensium tamen ille fuit numero, de  
quibus *Alexander ab Alexandro* ξ scripsit, *Aut excellentissimos esse &*  
*omni virtutum genere praeditos, aut improbissimos & omnibus vitiis de-*  
*pravatos*. Stephanus verò, Stephanus protomartyr is est, de quo *Lu-*
- xlIV. *cas* ο superiora illa confirmavit. Pari ratione & majori jure sibi enco-  
mium illud vendicavit *Christus*, quàm Romanus Pompejus, de quo  
ite-
- dl. VII. c. 3. ε I Reg. II, v. 26. ζ I V. c. II. η c. XXX, i. θ I. IV. c. 14. ι Ju-  
venal. Sat. III. v. 39. κ Sat. II X in fine. λ Luc. I, 39. μ I. VI. c. eod.  
ν I. I. c. 8. ξ Genial. Dier. I. IV. c. 13. ο Act. VI, 10.



iterum Valerius π, Nec sine magnâ laude, quoniam omnis generis homi-  
 num licentia ludibrio esset, quicquid a fronte tulit. Ita enim Petrus ex histo-  
 riâ Passionis, Quum maledictis incesseretur, non regessit maledictas;  
 quum malis afficeretur, non minabatur. Paullus ρ Abrahæ fidem extol- XLV.  
 lens σωμα eidem νεκρωμένον, Saræ verò νέκρωσι τῆς μητρός tribuit.  
 Ego in Ambrosio σ lego emortua genitalia, in Valerio τ ultimâ senectute  
 confectum & panem dilapsam corpus. Uter puritatis, Lector arbitra-  
 bere. Ego me tutor ipsum illo Valeriano υ, Quia non nova dicuntur,  
 sed tradita repelluntur, fidem (autoritatem) auctores vindicent: nostrum  
 sit inclitis literarum monumentis consecrata perinde ac vana non resu-  
 gisse. Quamquam non rigidè adeò repugnem, si quis Ausonianum φ  
 istud obvertat, Nævus nostros & cicatrices amamus, nec soli nostro vitio  
 peccasse contenti, affectamus, ut amentur. Porro, notum est illud Christi XLVI.  
 Salvatoris, quo in Pharisæos sui temporis & quoslibet doctores fri-  
 gidos (nam ferax & Lernæa est isthæc hypocrisis) invehitur apud  
 Matthæum χ, dicens, Dicunt, & non faciunt. Illustrare illa Scholastico  
 more Scholasticus poterit ex Aristotele ψ, καθόλου δὲ ἄτοπον ἐστὶν ἐ-  
 σιν, ὅταν τις ἐπιμαῖ ἄλλοις, ἀ ἀυτοῦ ποιεῖ, ἢ ποιήσειεν αὐτὸν ἢ προῖρα πρὸς ποιεῖν  
 ἀ ἀυτοῦ μὴ ποιεῖ, μηδὲ ποιήσειεν αὐτὸν. Cum quo egregiè convenit ω Chry-  
 sostomus, Ουδὲν διδασκάλου ψυχρότερον ἐν λόγοις φιλοσοφῶντος μόνον,  
 τῆτο γὰρ ἐ διδασκάλου, ἀλλ' ὑποκριτῆ, Nihil doctore frigidius, qui ver-  
 bis duntaxat philosophatur: neque enim hoc doctore est, sed histrionis. Ipse,  
 qui svadet, considerandus est, adjiciatnè consilio periculum suum,  
 inquit consideratè α Mutianus apud Tacitum. Ομολογημένως μεγάλη  
 Οικονομία τῆς ἐνανθρώπησεως Filii DEI ex seipsâ fidem meretur & gi- XLVII.  
 gnit, cui & ego Christianus ex paucis (faxis θεάνθρωπε εἰς τὸ τέλος) ὅ  
 magnâ cum fiducia credo, nec ullo indiget tibicine, quo suffulcia-  
 tur, Aristotelico: phrasis tamen Paullina β, quia Græca est ipsa, ex A-  
 ristotele illustratur. Ita enim ille γ in l. iix Histor. Animal. ὁμολογη-  
 μέ-

π l. VI. c. 2. ρ Rom. IV, 19. σ l. I de Abrah. c. 8. τ l. III. c. 2. n. 18. υ l. I.  
 c. 8. n. 7. φ præfat. super Cupid. cruci affixum. χ c. 23, 3. ψ II Rhetor.  
 c. 23. ω in illa Act. I ὡν ἡρξάτο ἰησῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν. α Hi-  
 stor. II, 76. β I Tim. III, 16. γ l. IIX Histor. Animal. c. 16.



μένως μάλιστα πάντων ἢ τρυγῶν, maximè omnium constat de turture:  
& δι. II Rhetoric. ὡς ὁμολογῶν ἀπάντων, ex concessione & confes-  
sione omnium. Sed ne quid nimis: *nam & gratia, si nimia atq; im-*  
*modica; & mores, si multi atq; varii; & verba, si perpetua atq; infinita*  
*& obiudentia; & fama, si magna & inquieta & invidiosa sit, neq; lau-*  
*dabilia nec utilia sunt,* uti alicubi in Noctibus Atticis scripsit e Agelli-  
us. Et *paucorum est, quod Lucilio suo tribuit Seneca, habere verba in po-*  
*restate, non efferrì ab oratione, nec trahi longius, quàm destinaveris?*

Ceterum, ADAM NICOLAI Budissinus licèt absq; comite ad Do-  
ctores Lipsienses abiturus, ibiq; cum Deo studia sua bene cœpta &  
solidè fundata continuaturus & ad altiora applicaturus fuerit, nolu-  
it tamen absq; contubernale aut commilitone in hanc arenam de-  
scendere declamatoriam, sed lubentem sibi adjunxit

## JOHANNEM Schlinzig Dresdensem,

qui superiori ipse anno in feriis Pentecostalibus de Docturâ Spiritûs S.  
quâ Sapientiam & Eloquentiam infundit suis fidelibus, tirocinii loco  
quædam stylo Latino recitavit. ADAM verò noster, quod pleriq;  
nôsse adhuc potestis, ante *biennium* de *Modestia*, ante *annum* de *Lusa-*  
*siâ*, in publico, eoq; splendido, confessu verba fecit. Nunc sibi sele-  
gerunt materiam non tam diffusam, quàm summè utilem & futu-  
ro Oratori cuicunq; planè cognitu necessariam, de *Moribus AËta-*  
*tum, Juvenilis, Senilis & Virilis* sive *Media*. Tractavit eam ex professo  
*Aristoteles* in libro secundo Rhetoricorum *η* tribus integris capiti-  
bus, & post eum omnes ejus Interpp. seu Commentatores, nonnul-  
li etiam hodierni Rhetores, ex quibus omninò laudandus est *Gerar-*  
*duſ Ioannes Vosſius* *θ*, eamq; publicæ dissertationi inclusam ante qua-  
tuordecim annos sub clypeo Doctoris olim nostri *Dilherri* in Aca-  
demiâ Salanâ exhibuit *Christianus Betulius Egranus*. Digna omninò  
res, quæ à nobis sæpiùs consideretur, videmus enim quasi in specu-  
lo nonnulli, quid egerimus, pars quid & quomodo jam agamus,  
plurimi etiam quales futuri fuerimus: ac si ista contemplemur  
paul-

δ c. 21. ε l. IV. c. 9. ζ Philipp. Caroli de Sceptro Juda. η capp. 12,  
13, 14. θ l. II Instit. Orator. c. 14. n. 5, 6.



paullò accuratiùs, & de vitâ minùs ad regulam actâ salubriter dole-  
bimus, & de præclarè gestis gaudebimus, ut laudem in posterum &  
famam vel post cineres mereamur, studebimus, ab iis verò, quæ no-  
bis dedecori & damno, aliis senio & fraudi futura sint, prudentiùs  
cavebimus. Recitat *Horatius*, in pleno theatro, quòd adolescens sit

Utilium tardus provisor, prodigus æris:

nos avertimus faciem, ne gloriatur nos in ruborem dedisse. Pergit  
*idem*  $\kappa$ , Multa senem circumveniunt incommoda, vel quòd

quærit, & inventis miser abstinet, & timet uti,

verbis ei saltem contradicemus, quum factò difficulter possimus.

Omnes tamen cum *ipso*  $\omicron\mu\eta\lambda\iota\kappa\epsilon\varsigma$  uno quasi ore affirmabimus,

Lenit albescens animos capillus  $\lambda$

litium & rixæ cupidos protervæ.

Non ego hoc ferrem calidus juventâ.

Sed de his plura *Nostri*, ad quos audiendos *Vos, Honoratissimi Patroni, Fautores & Amici singulariter habendi*, ego, uti debeo, officiosâ hâc li-  
terâ invito. *Alter* peregrinus est, sed vicinus; *alter* Vestrâs: neutri de-  
bere noletis. Nec hisce duobus solis seritur, ubi ceteri omnes me-  
tent. Totius caveæ adensus nisi semper & in omnibus adplaudit, ad-  
plaudere tamen tam creditur diu, quàm non explodit. Dudum ve-  
rò est, quod scio Vobis omnibus placere & verum videri illud *Mat-  
thialis*,  $\mu$  Ego esse miserum credo, cui placet nemo.

Et si verum est, quod scripsit alicubi *Chryostomus*  $\nu$ , Concionatores  
non minus præmii accipere non auditum, quàm diligenter audi-  
tum; certè *Nostri* à *Vobis* diligenter auditi ecquod & quantum sibi  
præmium collatum prædicabunt? Sed næ ego svaveis nugas ago, qui  
verbis procacibus expetesso, quod sponte daturus non hodie de-  
mum novi. In vota potius solvor, ut *Deus ter Opt. Max. non tantùm  
nostram in posterum Budissam elegantibus ingenis, quæ & exteris ad-  
mirationi sunt. fœcundet & augeat sed huic etiam Nostro in pertexendo  
laudabili proposito constantiam firmet, animumq; à studiis eò elegantio-  
rem*

in de Arte v. 164.  $\kappa$  ib. v. 169.  $\lambda$  iii. Carm. 14.  $\mu$  l. V. epigr. 29.  $\nu$  Ho-  
mil. I de Lazaro.





rem effingat, quò ille semper quàm corpus magis hominem exornat: non  
dicemus cum Persio, &

quicquid calcaverit hic, rosa fiat,

sed ut, quacunq; matris amantissime, quacunq; vidua à filii solatio pen-  
dentis, quacunq; hominis & benevoli & Christiani vota sunt, clementer  
Deus impleat atq; confirmet. Ego quoq; ipse hoc ardentius oro atq;  
voveo, quòd prædictus ADAM ex disciplinâ meâ & privatâ est & do-  
mesticâ, ut per *Eum* fama nostra, cujus sitim in nemine honesto  
umquam superbiæ tribui percepi, eò celebrior fiat atq; honestior.  
Et fiet. Vos Valet.

Dabam è Muséo anno Christiano, quo singuli suspiramus,

*La Mpa Da pro tenebr Is porr Ige CHRISTE plo.*

& Sat. II. v. 38.









QXIII 124

bc

1012





